





Gr. num. 26.

1739, 5

2A

DISSERTATIO PERIODICA
DE
**CONFLICTV
OBLIGATIONVM,**

A
JOHANNE WOLFGANGO TRIER,
CONSIL. REG. AVL. ET CODICIS P. P.


ET
FRIDERICO WILHELMO BINGERT
BEROLINENSI

D. VIII. AVG. MDCCXXXIX.
PVBLICAE DISQVISIONI EXPONENDA.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.



UNIVERSITÄT JENÄ
 BIBLIOTHEK
 IN DEN JAHREN
 1810
 1811
 1812
 1813
 1814
 1815
 1816
 1817
 1818
 1819
 1820
 1821
 1822
 1823
 1824
 1825
 1826
 1827
 1828
 1829
 1830
 1831
 1832
 1833
 1834
 1835
 1836
 1837
 1838
 1839
 1840
 1841
 1842
 1843
 1844
 1845
 1846
 1847
 1848
 1849
 1850
 1851
 1852
 1853
 1854
 1855
 1856
 1857
 1858
 1859
 1860
 1861
 1862
 1863
 1864
 1865
 1866
 1867
 1868
 1869
 1870
 1871
 1872
 1873
 1874
 1875
 1876
 1877
 1878
 1879
 1880
 1881
 1882
 1883
 1884
 1885
 1886
 1887
 1888
 1889
 1890
 1891
 1892
 1893
 1894
 1895
 1896
 1897
 1898
 1899
 1900
 1901
 1902
 1903
 1904
 1905
 1906
 1907
 1908
 1909
 1910
 1911
 1912
 1913
 1914
 1915
 1916
 1917
 1918
 1919
 1920
 1921
 1922
 1923
 1924
 1925
 1926
 1927
 1928
 1929
 1930
 1931
 1932
 1933
 1934
 1935
 1936
 1937
 1938
 1939
 1940
 1941
 1942
 1943
 1944
 1945
 1946
 1947
 1948
 1949
 1950
 1951
 1952
 1953
 1954
 1955
 1956
 1957
 1958
 1959
 1960
 1961
 1962
 1963
 1964
 1965
 1966
 1967
 1968
 1969
 1970
 1971
 1972
 1973
 1974
 1975
 1976
 1977
 1978
 1979
 1980
 1981
 1982
 1983
 1984
 1985
 1986
 1987
 1988
 1989
 1990
 1991
 1992
 1993
 1994
 1995
 1996
 1997
 1998
 1999
 2000
 2001
 2002
 2003
 2004
 2005
 2006
 2007
 2008
 2009
 2010
 2011
 2012
 2013
 2014
 2015
 2016
 2017
 2018
 2019
 2020



Q. F. F. Q. S.
ILLVSTRISSIMO.
ATQVE. EXCELLENTISSIMO. DOMINO.
D O M I N O.
SAMVELI DE MARSCHALL.
DYNASTAE.
IN. DAALWITZ. TASDORFF. RELIQA.
VIRO.
SVMMA. MVNERVM. DIGNATIONE.
RERVVM. OMNIVM. SCIENTIA.
VIRTVTVMQVE. ORNATISSIMARVM. SPLENDORE.
ORBI. INCLVTO.
OMNIVMQVE. SERMONE. CELEBRATISSIMO.
CVI.
CVM. HVMANAE. CONDITIONIS. ARBITER.
D. O. M.
ANIMVM. SVpra. VVLGAREM.
DEDERIT. EMINENTISSIMVM.
QVI. SE. ADEO. OMNIBVS. OSTENDEBAT.
NEC. PROPTEREA.
OCCVLTVS. MANERE. POTERAT.
BORVSSORVM. REGI. POTENTISSIMO.
PRINCIPI. PIO. FELICI. AVGVSTO.
INGENIORVM. AEQVISSIMO. JVDICI.

QVI. NON. VENVSTAM. SOLVM.
CORPORIS. PROCERITATEM. RESPICIT.
VERVM. ETIAM. QVOD. MAXVMVM. EST.
RERVVM. SVARVM. TALES. SIBI. PROCERES.
SVMERE. ADSOLET.
QVIBVS.
AD. SVMMA. EARUM. FASTIGIA. CONSCENDENDA.
ANIMVS. SVFFICIT.
CVM. ITAQVE.
HIC. REIPVBLICAE. MODERATOR. SVMMVS.
PATRIAE. PATER. AMMVS.
REX. CLEMENTISSIMVS.
HAS. EGREGIAS. PRORSVS. ANIMI. DOTES.
PROBE. PERCONTATVS. ESSET.
ATQVE. PERSPEXISSET.
OPTIME. DE. EO. IVDICAVIT.
IPSVM. QVIDEM. HONORIBVS. CVNCTIS. FORE.
PAREM.
PAREM. TAMEN. VIRTVTIBVS. EIVS. HONOREM.
DARI. NVLLVM.
QVAPROPTER.
CVM. NEC. EMETIRI. POTERAT. VIRTVTES.
DIGNITATVM. NVMERO.
DEDIT. IPSI. AMPLISSIMAS.
OB. PROFVNDISSIMAM. ENIM. ET. BRANDENBVGICI.

ET. EXTERARVM. REGIONVM. STATVS. NOTITIAM
CVRAM. REGNI.

QVOD. NON. MINVS. EX. INVIDIA. ALIORVM.
LABORAT.

QVAM. QVIDEM. SVO. LABORE. FLORET.
IPSI. DEMANDAVIT.

OB. PRVDENTIAM. SENSVSQVE. MODERATISSIMOS.
OMNIVM. BELLI. ARCANORVM. ARBITRVM.
CREAVIT.

OB. POLITIAE. PERFECTISSIMAM. COGNITIONEM.
COMITIORVM.

QVAE. MARCHIAE. BRANDENBVRGICAE.
CLASSES. PERAGVNT.

GVBERNATOREM. PRINCEPEM.
ADOPTAVIT.

OB. FIDEM. QVAM. SIBI. MIRIFICAM.
PRAESTRVXERAT.

AERARIVM. ACCENSORVM. MILITVM. FIDEI. EIVS.
COMMISIT.

OB. GRAVISSIMVM. ILLVD. ET. SANCTISSIMVM.
PIETATIS. NOMEN.

CAETERARVM. VIRTVTVM. OMNIVM.
FVNDAMENTVM.

PIARVM. RERVM. ET. DIVINARVM. PATRONVM.
CONSTITVIT.

SIC ENIM
BASILICAM BERLINENSEM
QVAE REGIA DEVOTIONE EXORNATVR
SPLENDIDISSIMVM JOACHIMICAE PIETATIS
MONIMENTVM
PATRIAE GYMNASIVM FLORENTISSIMVM
ORPHANOTROPHIVM POTSDAMMENSE
QVOD AMPLISSIMVM MVNIFICENTIAE
FRIDERICI WILHELMI TESTIMONIVM DICIT
CONSILO PIETATE ET RELIGIONE
MODERATVR
HVIC DOMINO ET MAECENATI
GRATIOSISSIMO SANCTISSIMO PIENTISSIMO
HVNC LIBELLVM
STVDIA SVA
ATQVE ADEO SE IPSVM
D. D. D.

FRIDERICUS WILHELMUS BINGERT.



§. I.

Obligatio est impulsio voluntatis ad faciendum vel non faciendum aliquid, orta ex timore pœnæ seu mali, quod non facienda facientibus vel facienda non facientibus imminet. Sape autem fit, si quis duabus vel pluribus obligationibus simul satisfacere non possit, ut ancipiti cura distrahatur animus, nesciatque, quæ sit inter illas reliquis major ac prior habenda. Regula generalis hæc est: *eam obligationem præferendam esse, qua neglecta, majus malum sit secuturum.* Hæc regula semper vera est, neque ulli exceptioni obnoxia. Nam si certum est, quod suus quemque sensus docet, malum esse vitandum, atque ex hujus metu omnem obligationem oriri, certum etiam est, majus malum magis fugiendum esse, quam minus, & magnitudinem obligationis ejusque parem esse magnitudini mali, quod metuendum est. Absurdissimum enim foret constitui, inter duo mala pejus eligendum esse, & quo pœna levior est, eo arctiorem obligationem nobis imponi. Quemadmodum prudenter agit, qui in tempestate exonerandæ navis causa merces ejicit, & ne graviolem jacturam faciat, leviolem contemnit: ita bona est illius actio, qui, ne in majus peccatum incidat, per minus transire non veretur. *L. 200. ff. de reg. jur. C. 1. §. 2. sub f. dist. 13. C. 7. causa 22. qu. 4.* Huc pertinent ea, quæ doctores de jure necessitatis præcipiunt, quippe quæ

quæ est casus, quo malum aliquod caveri non potest, nisi quis in aliud majus incurrere velit. Tum lex, quæ minus malum prohibet, tantisper infirmatur: & quod non erat licitum, id necessitas licitum efficit. *C. 4. X. de consuet. C. 4. X. de reg. jur.* Latissime per omnem jurisprudentiam & philosophiam moralem usus hujus regulæ patet. Hæc fundamentum est tutelæ sui ipsius adversus alios, dominii eminentis, juris belli, pœnarum, aliorumque multorum jurium, quibus vel nobis vel aliis molestiam ac dolorem ipsumque sæpe interitum afferre cogimur: in quibus omnibus, remoto hoc fundamento, frequenter nos hallucinari oportet.

§. II.

Multi sunt & Theologi & JCTi, qui regulam hanc vellicant, existimantes, veram quidem eam esse, si de duobus malis physicis sive dolorem afferentibus agatur, at e duobus malis moralibus non alterutrum eligi, sed utrumque caveri oportere. *AHASV. FRITSCH. de presidio necessitatis contra legem, Opusculor. Vol. 2. part. 3. tract. 21. sect. 7. ibique allegatus CALOVIVS. Auctores, qui interpolant BARBOSAE Thesaurum art. Malum §. ult. ibique allegatus DANHAVERVS.* Ajunt, actiones juri naturali & præceptis Divinis moralibus adversas sua natura vitiosas esse, nec prohibitione demum tales fieri. Cumque justitia Dei æterna sit atque immutabilis, ea, quæ naturaliter sunt turpia, sine detrimento animæ nunquam admitti posse. Nihil vero prodesse homini, si vel univèrsum mundum lucrètur, animæ autem detrimentum patiat. Verissima quidem, fateor, sunt hæc omnia: sed nihil iis proficitur, si, quod sæpe fit, duo præcepta moralia ita inter se collidantur, ut, servato uno, alterum simul servari nullo modo possit. Tum enim, quæso, quid aliud agendum est, nisi ut alterutrum eligatur, & malo morali graviori ex leviori remedium quæratur? Rationes, quibus regulam nostram niti diximus, æquè locum habent, sive physica sive moralia sint mala, quæ inter se concurrunt. Contra rationibus, quibus dissentientes utuntur, plus probatur, quam probandum erat, ideoque nihil probatur. Consequitur enim ex iis, ut nec e duobus malis physicis alterutrum eligere liceat: quoniam certe is quoque malum morale committit, qui malum physicum sibi

sibi aliive sciens ac volens infert. Exempli causa qui pollicem vel manum sibi vel alii amputat, is malum non modo physicum, sed etiam morale juriq̄ naturæ adversum facit. Ecquis vero crediderit, digito reciso, ne manus tota amittenda sit, peccari & a chirurgo, qui id facit, & ab ægroto, qui fieri patitur? Firma igitur manet regula nostra, & manifestum est, non tantum eum, qui sponte aliquid præceptis Divinis moralibus prohibitum facit, sed illum etiam, qui e duobus malis moralibus, quando utrumque declinari non potest, graviori se contaminare non dubitat, jus Dei æternum violare animamque suam pessumdare. THOMAS. *Fundam. jur. nat. & gent. l. 2. c. 2. §. 18. sq.*

§. III.

Ne quis autem doctrina, quam tradimus, abutatur, aut, ea perperam intellecta, in errorem inducatur, admonendi sumus, agi tantum de veris obligationibus, quibus neglectis, malum aliquod sequi necesse sit. Itaque si duæ propositæ sint actiones, quarum una omiſsa, bono aliquo nos carere, altera autem omiſsa, malum contrahi oporteat, hæc semper potior est ducenda. *Rom. c. 3. v. 8. C. 10. causa 32. qu. 4.* Nam ad hanc exequendam habemus obligationem veram: ad illam desiderio tantum & quasi obligatione quadam movemur, non vera obligatione impellimur & cogimur. Multo enim gravius est malum perpeti, quam bono vacare: ideoque actiones, quæ ad bonum consequendum spectant, officia imperfecta, quæ vero ad malum propulsandum tendunt, officia perfecta & necessaria appellantur.

§. IV.

Et si vero regulam generalem supra propositam, quam QUINTILIANUS *Inſtit. orat. l. 7. c. 4.* his verbis enunciavit, *In comparatione malorum boni locum obtinet levius*, certissimam esse diximus: illud tamen perſepe incertum est, utrum sit ex duobus malis re vera levius, quæ plerumque facti est quæstio. Hæc dubitatio ut tollatur, variæ regulæ speciales a doctoribus juris naturalis, nam juris civilis doctores raro has controversias attigerunt, sunt excogitata: quæ ad quatuor classes revocari possunt. Rati enim

In iis habetur vel eorum ipsorum, qui obligantur, vel aliorum, quibus illi obligantur, vel malorum, quæ vitanda sunt, vel naturæ, quam habet obligatio.

§. V.

Classis primæ regula est unica: *Unusquisque sui majorem curam habere debet, quam aliorum.* Nam cum obligatio omnis erga alios ex malo nobis ipsis metuendo oriatur, dubitari non potest, antiquiorem cuique esse debere obligationem, ne se, quam ne alios lædat. Itaque si in tuo aqua erumpat, quæ ex meo fundo venas habeat, puteum aperire possum, quo mea necessitati subveniatur, licet, eo aperto, desinat ad te aqua pervenire. *L. 1. §. 12. Et L. 21. ff. de aqua.* Si quis ab homine scelerato vel furioso in eam necessitatem detrudatur, ut aut occidere eum aut se trucidandum ei præbere cogatur, omnino præstat suæ salutis consulere, quam alienæ. Verum hæc regula multas habet exceptiones. Pactis enim homines crebro obligationem contrahunt, ut suis maximis incommodis aliorum commoda redimant. Sic pauper fidejussor, etiam si laribus, sepulchris avitis & universo patrimonio carendum habeat, tamen compellitur ad solvendum, quod creditori, etiam diviti & luxu id omne perdituro, promissit. Societatum humanarum quoque ea est conditio, ut sæpe alteri, etiam si pacto se non obstrinxerit, alterius causa gravia onera suscipienda sint: cujus generis est obligatio parentum ad alendos & educandos liberos, & obsequium, quod illis ab his præstari oportet. In societatibus civilibus, bello aliave necessitate ingruente, sæpe cives pro salute publica extremis periculis objici videmus. Servi in periculo dominorum salutis eorum suam anteponere prohibentur. *L. 1. §. 28. ff. de SC. Silan.* Sacræ litteræ etiam nos docent, exemplo Christi, pro salute æterna fratrum mortem a Christianis non esse recusandam. *1. Job. c. 3. v. 16.*

§. VI.

Secunda classe duæ continentur regulæ. *Superior potestas plaris facienda est, quam inferior:* quoniam ab illa certior & gravior coercitio non obsequentibus impendit. Quare leges Divinæ sive naturales sive scriptæ sanctiores habendæ sunt, quam humanæ. Mandatum Principis vincit jussum patris, hujus potestas jus

jus, quod mater habet. Deinde *magis laborandum est de iis, qui arctius nobis juncti sunt, quam de ceteris*: quia illorum mala magis nos tangunt atque affligunt. Majore igitur cura prospiciendum ac servandum est liberis, quam cognatis minus propinquis, civibus, quam peregrinis, iis, qui beneficiis nos complexi sunt, quam aliis, qui nullo nobis beneficio sunt cogniti. Sed haec quoque regula tantummodo, si cetera sint paria, veræ sunt habenda. Turpius interdum est, parentes senectute confectos & gravi calamitate laborantes deserere, quam Principem civitatis, quem nulla calamitas premit. Lotus Patriarcha filias in periculum haud leve committere, quam peregrinis quibusdam, qui in longè gravius periculum accesserant, deesse maluit. *Genes. c. 19. v. 8.*

§. VII.

Tertia regularum classis ad genera malorum perpendenda atque æstimanda pertinet. *In omni genere malorum maximum est exitium animæ æternum.* Etsi autem de veritate hujus regulæ nemo dubitare potest: nulla tamen est alia, circa quam periculosius errari videamus. Multi enim sunt, qui negant, actiones jure naturæ illicitas, ulla necessitate cogente, licitas fieri, & salva animæ salute, suscipi posse: cujus rei jam supra mentio facta est, & infra complura exempla afferentur. Mala, quæ res hominum caducas afficiunt eo ordine cavenda sunt, quo in Decalogo prohibentur. *Primum ex iis est jactura vitæ & sanitatis, secundum eorum, quæ ad matrimonium pertinent, tertium opum, quartum existimationis ac dignitatis.* Itaque gravius est vitam homini eripere, quam adulterari. *L. 7. C. Theod. de indulgent. crim. C. 4. X. de judic.* Permissa est castratio, si aliud gravius malum sanari hoc remedio possit. *Nov. Leon. 60. in f.* Et ridiculum fere est, quod Alexander III. Papa præcipit: *si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur. C. 2. X. de conjug. leprosor.* Quod multo præstabilius sit liberis, quam divitiis quærendis operam dare, de eo dubitari non potest, cum illud a Deo præcipiatur, *Genes. c. 2. v. 24.* hoc improbetur. *Matth. c. 6. v. 19.* Divitias autem famæ, honoribus ac dignitatibus antecire, nemo diffitebitur, qui

qui consideraverit, quanto hæc omnia oneri sint, si cum paupertate sint conjuncta. Sæpe tamen fit in vita civili, ut ordinem in Decalogo servatum immutari oporteat. Ita enim fama, etsi in lubrico judicio populi sita, ideoque omnium bonorum humanorum postremum sit & vanissimum, tanti tamen interdum esse potest, ut non modo pecuniæ longe anteferenda sit, *L. 104. ff. de reg. jur.* sed etiam amissio illius morte, qua nihil est in rebus humanis terribilius, haud levius malum habeatur. *L. 8. §. 2. ff. quod met. causa.*

§. VIII.

In classe quarta præcipuæ regulæ, ex natura obligationis manantes, hæc sunt. I. *Speciali obligationi cedit generalis.* Cum enim specialia omnia minus late pateant, quam generalia, necesse est, illis arctius nos obstringi. *C. 11. X. de heretic.* II. *Priori cedit posterior.* Nam obligatio semel contracta & jus alteri quæsitum neque nostro neque aliorum factio tolli potest. *L. 11. ff. de reg. jur.* III. *Simplex cedit ei, qua aliam obligationem conjunctam habet.* Duo enim vel plura plus roboris habent, quam unum: & funiculus duplex vel triplex difficilius rumpitur. *Ecclesiast. c. 4. v. 12.* Exemplum primæ regulæ hoc esto. Lex est sacri Codicis, ne quis uxorem fratris ducat. *Levit. c. 18. v. 16.* Alia lex, ut frater ducat uxorem fratris sine liberis mortui. *Deuteron. c. 25. v. 5.* Alia, ne pontifex maximus ducat viduam. *Levit. c. 21. v. 14.* Ex his legibus postrema maxime specialis est, utpote ad certam personam certumque munus pertinens. Media magis generalis, quoniam, quamvis de casu aliquo singulari agat, tamen personarum discrimen non facit. Prima maxime generalis est, neque personæ certæ neque casui singulari adstricta. In quibusdam autem regula illa falsa est. Nam licet lex de non ducenda filia generalior est, quam lex de ducenda fratris uxore, quippe quæ uno casu locum habet: tamen, si forte filia tua fratri tuo nupserit, hoc mortuo, ducere illam minime poteris. Id ex eo cognoscimus, quod incestus cum filia perpetratus ultimo supplicio, alterius legis violatio levi coercitione vindicetur. *Levit. c. 20. v. 17. Deuteron. c. 25. v. 8. seqq. c. 27. v. 23.* Ex regula secunda colligitur, si quis duas sibi desponderit, repudiata posteriore, priorem esse ducendam. *C. 31. X. de sponsal.* Sed nec hanc regu-

regulam semper tuto sequi possumus. Quid enim, si quis cum posteriore sponsa concubuerit? Jure Pontificio, quo etiam Protestantes plerique utuntur, constitutum est, sponsalia rata priora posterioribus consummatis preferenda esse. *C. 31. X. de sponsal.* CARPZOV. *Jurispr. eccl. l. 2. defn. 67.* Secundum jus Divinum autem contraria sententia est verior. Etsi enim solus consensus facit nuptias: *Matth. c. 1. v. 19. sq. L. 15. ff. de condit. & demonstr. C. 14. X. de sponsal.* tamen individuum earum vinculum concubitu demum inducitur. *Matth. c. 19. v. 5. sq.* Accedit quod sponsa, cum qua concubitus intercessit, multo majore injuria afficiatur, & quod, si prægnans fuerit, respublica partu non legitimo augeatur. Consentit cum jure Divino jus Justinianæum. *L. 1. C. de sponsal.* Et fatetur Alexander III. Papa, ita ab aliis Papis olim judicatum esse. *C. 3. X. de sponsa duor.* Eadem quoque fuit sententia Lutheri, quam Hamburgi & aliis quibusdam locis Protestantes sequuntur. LAUTERBACH. *Different. jur. commun. & statutor. Hamburgens. th. 71.* Magnopere autem est mirandum, plerosque eorum, explosa doctrina Lutheri, juri Pontificio assentiri: cum tamen sponsalia posteriora, si iis hierologia accesserit, prioribus præferre soleant. CARPZOV. *Jurispr. eccles. l. 2. defn. 66. ibique BEYER. in addition.* Enimvero hoc est præcepta Divina posthabere humanis: quoniam hierologia est cæremonia, pia illa quidem, sed ab hominibus instituta neque talis, ut propter eam solam fides data falli debeat. Denique, tertia regula stabilita, concluditur, obligationis juratæ majorem esse efficientiam, quam injuratæ. Ipso jure civili pacta minorum viginti quinque annis, alioquin irrita, si jurejurando fuerint confirmata, servanda sunt. *L. 1. C. si adv. vendit.* Majus enim malum ex perjurio nascitur, quam illud est, quod leges pacta minorum infirmantes cavere voluerunt. Cum vero jus civile in ea re sibi non satis constet, jure canonico proditus est canon æquisimus, quem in foro plerumque sequimur: omne jusjurandum servandum esse, quod, salva salute æterna, servari possit, nisi vi aut dolo sit extortum, aut in detrimentum aliorum tendat. *C. 28. X. de jurej.* Fieri tamen potest, ut etiam ab hoc canone non inique neque impie recedi posse videatur, si ex duobus alter immane aliquod lucrum, alter damnum intolerabile sit facturus. FRANZK. *Resolut. l. 2. quest. 4. n. 31. sqq.*

B

§. IX.

§. IX.

Regula, quæ vulgo inter præcipuas referri solet, *obligationem ex lege negante sive prohibente potentiorē esse obligatione ex lege agente sive præcipiente*, consulto a nobis omīssa est: quoniam ejus nullum esse usum existimamus. Omni enim lege, qua actio aliqua præcipitur, tacite vetatur actio contraria: ideoque parum interest, verbis negantibus, an agentibus lex illa enuntietur. Exempli causa idem erit, sive sabbatum religiose celebrandum, sive non profanandum esse, dixeris. Similiter lege, qua facere aliquid prohibemur, simul obligamur, ut curemus, ne id fiat. Ita, dolo prohibito, curandum est, ut dolus absit, & bona fide omnia sunt agenda, uti inter bonos agi oportet. *L. 50. C. 83. pr. ff. de verbor. oblig.* Ex quo fit, ut leges etiam prohibentes frequenter inter se collidantur, tametsi alioqui nihil impediatur, quo minus duo & multo plura simul omitti queant. Sic præceptum de non fallendis aliis, si concurrat cum præcepto de non prodendis innocentibus, interdum negligi oportet. Cum enim posterius præceptum merito sanctius nobis esse debeat, ejus servandi causa, necessitate jubente, faciendum est aliquid, & fallendi sunt ii, qui innocentibus insidias strunt. Plures regulas speciales alii tradiderunt, & in primis magnum earum numerum commentus est SHARROCKIUS, *libro de finibus C. officii secundum jus nat. c. 10. C. 11. (in editionibus prioribus c. 12. seqq.)* Sed hæc omnes ad illas, quas recensuimus, facile reduci possunt.

§. X.

Cum ergo regulæ speciales tam lubricæ sint, & tam exiguum usum habeant, tutissimum est, abdicatis illis, in sola regula generali subsistere: ut nempe sollicitè perpendamus naturam & gravitatem malorum concurrentium, ac deinceps id, quod minus grave est, tanquam necessarium, eligamus. THOMAS, *Fundam. jur. nat. C. gent. l. 2. c. 2. §. 19. in nota.* Innumera sunt exempla, quibus hæc res illustrari potest: sed sufficienter nobis illa, quæ a FRITSCHIO sunt proposita. *Dissert. de præsidio necessitatis sect. 7.* Recensuimus ea secundum ordinem, quo Moyses in Decalogo usus est, & opiniones Fritschii, severe nimis obligationes hominum æstimantis, collatis exemplis sanctorum, confutare studebimus. Primo Deus præcipit,
ne

ne cultus ei soli tribuendus aliis praestetur. Quod ad cultum internum attinet, nulla quidem tanta esse necessitas potest, qua homo adigatur, ut a praecepto illo discedat. At honor externus, qui soli Deo debebatur, lege aliqua civili vel consuetudine vel gravi metu poscente, mortalibus etiam haberi interdum potest. Nathan Davidem, Salomon Bathsebam adoravit. *2. Reg. c. 1. v. 23. c. 2. v. 19.* Sic veniam aliquando merentur, qui, dum inter homines impuris sacris addictos versantur, rituum externorum communionem quandam cum iis servant, dummodo ne cor polluatur. Fecit hoc olim, permittente Elifaeo Propheta, Naaman Syrus, quando Regem in templum Saturni comitabatur. *2. Reg. c. 5. v. 18. sq. GROT. ad Luc. c. 4. v. 27.* Sine dubio ille se ad coronam martyrii capeffendam nondum satis praeparatum sensit, ideoque tempori servire maluit, quam ellychnium fumans, nondum concepta flamma, impiis extinguendum praebere. *Psal. 6. v. 6.* Fortassis ei coram simulacris Deorum procumbere melius visum est, quam uxorem, liberos & amicos, quos tueri & ad veram religionem adducere poterat, impurissimorum hominum potestati permittere. Paulus Apostolus, abrogato jam in synodo Hierosolymitana circumcisionis ritu, *Act. c. 15. v. 1. sqq.* licet ipse doceret alios, observationem hujus ritus saluti animarum impedimento esse, *Galat. c. 5. v. 2.* tamen circumcidit Timotheum, ut uterque majore cum securitate & feliciori successu inter Judaeos versari posset. *Act. c. 16. v. 3. 1. Cor. c. 9. v. 20.* Praecepto secundo usus profanus nominis Divini, & non modo perjurium, sed ipsum etiam jusjurandum interdicatur. Sed necessitas, uti jusjurandum licitum facit, *C. 6. § 14. causa 22. qu. 1.* ita haud raro perjurium quoque, si sine eo damnum aliis inferendum, aut salus aeterna desperanda sit, ab hominibus efflagitat. *C. 1. § 2. dist. 13. C. 58. de reg. jur. 6.* Quamobrem David jusjurandum violare, quam homines innocentes necare, maluit. *1. Sam. c. 25. v. 21. sqq. C. 4. sqq. causa 22. qu. 4.* Sabbatum, cujus celebratio tertio loco praecipitur, propter hominem esse, non hunc propter illud, exemplo Apostolorum & interpretatione authentica hujus praeccepti edocemur. *Marc. c. 2. v. 23. sqq.* Cum igitur saepe officia erga ipsum Deum propter justas & graves causas negligi oporteat, manifestum est, officia erga parentes eosque, qui his comparari merentur, ad quae

pertinet præceptum Decalogi quartum, multo magis necessitati cedere.

§. XI.

Etsi homicidium, quod præcepto quinto damnatur, gravissimum est omnium criminum, quorum homo adversus hominem reus fieri potest: tantum tamen malum majoris mali propulsandi causa permitti, nemo dubitat. Hoc poenæ capitales, jus inculpatae tutelæ, & quod ad hujus regulas componi debebat, jus belli satis demonstrant. Si duobus vel pluribus necessario pereundum sit, nisi unus vel pauci ex illis pereant, is quoque, qui innocens est, opprimi poterit. PUFEND. *de jure nat. & gent. l. 2. c. 6. §. 4.* HERT. *de collis. leg. sect. 2. §. 5.* Mortem sibi ipsi consciscere, si hoc facto malum aliud re vera gravius averti possit, vix potest inter prohibita referri. Simson, qui heros a Deo missus & populi Judaici princeps fuit, columnas ædium, in quibus omnes principes Philistæorum congregati erant, invocato in auxilium Deo, plenus fidei ac roboris convulsit, & capite ruinæ subdito, una secum florem populi hostilis sepelivit. *Judic. c. 16. v. 27. seqq.* Si quis hodie dux belli simile aliquid efficere posset, dubitandum non est, ei, tanquam liberatori patriæ, insigne monumentum positum iri. Quamobrem excusantur a nonnullis & Theologis & JCTis præfecti navium, qui sive jussi sive ultro ignem navibus subjecerunt, ne cum his & omnibus earum armamentis in potestatem hostium pervenirent. AMES. *de conscientia l. 5. c. 31. qu. 14.* BECMANN. *Lin. doctr. moral. c. 15. §. 2.* PUFENDORF. *de jure nat. & gent. l. 8. c. 2. §. 4.* OTTO *ad Pufend. de off. hom. & civ. l. 1. c. 5. §. 9.* Sed, nisi evidentissima fuerit & maxime urgens necessitas, præferre malum sententiam aliorum, qui, hoc permissum esse, negant. DEDEKENN. *Consil. Vol. 2. sect. 7. n. 7.* LOCCEN. *de jure marit. l. 3. c. 16.*

§. XII.

Stuprum, adulterium, incestus, divortium, quæ omnia præcepto sexto adversantur, itidem propter necessitatem aliquid excusationis habent. Lotus Patriarcha, qui adeo excelluit innocentia, ut a Petro Apostolo cognomine *Justus* sit appellatus, 2. *Petr. c. 2. v. 7.* sceleratissimis nebulonibus, nequid gravius in hospites apud

apud eum commorantes committerent, filias suas constuprandas obrulit. *Genes. c. 19. v. 8.* Laudatur Loti consilium in jure canonico: *C. 12. causa 32. qu. 7.* quo etiam similes ob causas meretrices in republica tolerari permittitur. *C. 20. X. de sponsal.* Hoc jure Principes totius orbis Christiani Catholicos uti, testatur COVARRUVIAS: *de sponsal. part. 1. c. 4. n. 10.* ut secundum regulam Catonianam juvenes salaces potius in fornices descendant, quam alienis uxoribus infidias faciant, & forte multo etiam pejora moliantur. Cum Hussitæ, regnante Sigismundo Imperatore, conquesti essent, lupanaria ab Ecclesia tolerari, deque ea re libellum Patribus in Concilio Constantiensi congregatis porrexissent, hi querelam hæreticorum, tanquam importunam, negligendam neque decreto dignam duxerunt. *CONZ. TELLEZ ad C. 20. X. de sponsal. n. 4.* Francofurtum quoque nostrum olim in ea re autoritatem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ secutum est. Nam triennio post conditam Academiam jussu Principis a Magistratu civitatis in gratiam effrenatorum juvenum & in securitatem honestarum virginum ac matronarum lupanarum publicum est institutum. Post sacra autem ante hos ducentos annos in terris Brandenburgicis restituta, mox etiam de restituenda castitate temporum & abolenda tam detestabili licentia cogitatum est, instante inprimis Theologo celebri, Alexandro Alesio, qui A. MDXXXIX. e Scotia huc advenerat. Sed obstiterunt alij, qui censuerunt, non temere mutandum esse jus, quo diu civitas usa, & ex cujus mutatione seditio metuenda esset, aliena quoque videri a munere Alesii, quæ ad rempublicam ordinandam pertinerent. Hæc dissensio compulit virum optimum, ut A. MDXLII. Lipsiam discederet. *JAC. THOMAS. Orat. 14. pag. 318.* Postea vero eventus docuit, lupanaris tolerandi nullam fuisse necessitatem, sed alia superesse honestiora remedia, quibus terra libido coerceri & corruptelis probarum feminarum obviam iri possit. Iis tamen locis, ubi hæc remedia malo infirmiora esse creduntur, inter Protestantes etiani infelicissimæ illæ victimæ publicarum libidinum palam prostant: & sunt inter illos Jcti nonnulli, qui in flagitiis hisce salutis publicæ causa connivendum esse, arbitrantur. *RITTERSHUS. Partit. feudal. l. 2. c. 8. qu. 100. URSINUS Disput. de questu meretricio, habita Francof. ad Viadr. A. 1682. c. 2. n. 12. c. 4. n. 1. & 2.*

HERT. de collis. leg. sect. 2. §. 28. Sara iussu Abrahami bis præsentissimum periculum adulterii adiit, ut maritum e periculo mortis eriperet. *Genes. c. 12. v. 11. sqq. c. 20. v. 2. sqq.* Quod incestui inter personas a latere conjunctas ob causas probabiles venia danda sit, exemplo eorundem conjugum patescit. Erat enim Sara mariti soror consanguinea: *Genes. c. 20. v. 12.* neque tamen unquam aliud sanctius fuit matrimonium & majoribus honoribus ac privilegiis a Deo decoratum. Neque nostrum esse puto, judicare conscientias filiarum Loti, quæ, postquam Sodomis exierant, mox gravidæ sunt factæ, & utraque puerum peperit, qui matris frater consanguineus, patrisque pariter filius ac nepos erat. *Genes. c. 19. v. 30. sqq.* Fieri quidem potuit, ut ea res imputanda esset levitati animorum, quam forte naturaliter his puellis insitam indulgentia matris & contagio tam corrupticis civitatis auxerat. Sed caritas, quæ Christianos decet, nonnullam in dubitationem nos adducit. Difficile certe creditu est, virgines tam sancto patre natas & ab eo ad veri Numinis cultum institutas, nondum discusso terrore, quem horrenda pœna impudiciæ Sodomitis irrogata injecerat, fumante forte adhuc urbe, bonis fere omnibus incendio amissis, in specu, quo se metu hostium absconderant, libidinis oestro & cupiditate cum sene concumbendi tam acriter percitas fuisse. E sermonibus earum in historia sacra memoratis nihil colligi potest, præterquam quod noluerint nubere spurcissimis mortalium, qui tum regionem Cananzam incolebant, quibus æque excidium imminebat, & in quorum matrimonio non tantum ipsæ innumeris ludibriis atque ærumnis, sed etiam liberi nascituri periculo salutis æternæ amittendæ obnoxii futuri erant. Fortassis bona fide, quantumvis errante conscientia, crediderunt, antiquiora habenda esse præcepta de liberis generandis, generatisque pie educandis, & de vitando tam arcto consortio malorum, quam præceptum de fugiendo incestu: cumque alius vir pius præsto non esset, idcirco patrem in subsidium vocandum putarunt. Fortitan exemplum patru sui magni, qui aliam mulierem frugi non inveniens sororem duxerat, imitandum sibi proposuerunt, & ingenti opinionis errore sibi persuaserunt, non multum inter se distare sororem & filiam. Nec utique maledixit

maledixit Deus Lotidibus earumve filiis, sed magnis gentibus, quarum hi conditores fuerunt, amplissimas regiones, expulsis per miracula veteribus incolis, possidendas concessit. *Deuteron. c. 2. v. 9, 10, 19. sqq.* Divortium non modo lege Evangelica, sed etiam Mosaica, *Matth. c. 19, v. 5. sq.* atque ipso jure naturæ est prohibitum. At sapienter a Deo constitutum est, permittendum illud esse, si quid aliud pejus fuerit timendum. *Matth. c. 19, v. 8.* Christus vero, quando a divortiis dehortabatur, legem hanc Patris sui non magis improbavit, quam legem de permittendo jurejurando, *Exod. c. 22. v. 11.* quando discipulos suos admonuit, nullum esse jusjurandum, quod malo vacet. *Matth. c. 5. v. 37.*

§. XIII.

Furto, quod cum septimo præcepto pugnat, an in extremo vitæ periculo venia & impunitas danda sit, valde dubitat Fritschius: sed rationes dubitandi habet admodum leves. Cum omnes fere doctores juris naturalis, mortis depellendæ causa, non modo furtum, sed, ut supra vidimus, alia quoque graviora permisa esse, statuunt, & causa hæc jam ab aliis perorata sit, nolo in ea re tempus consumere. *V. BEYER. Delin. jur. nat. c. 12. §. 74. sqq.* De mendacio contra præceptum octavum admissio, quod nullam ob necessitatem excusari posse, idem Fritschius opinatur, pauca dicenda restant. Notum est, quam operose Augustinus eumque secuti Canonistæ demonstrare studuerint, ne illud quidem mendacium, quo innocens a morte liberari possit, licitum esse habendum. *C. 8. & 17. causa 22. qu. 2.* Eo magis autem id mirandum est, quod idem Augustinus & Canonistarum plerique lupanaria toleranda esse existimant: *v. GONZAL. TELLEZ ad C. 20. X. de sponsal. n. 4.* qua in re accidit illis, quod aliis multis in æstimandis obligationibus accidere solet, ut exiguam labeculam aliquando magis reformident, quam grave dedecus, & muscarum vinariarum removendarum causa vinum colent, tamen camelos deglutiant. Mirifice in sacris litteris laudatur fides bonumque opus meretricis Hierichuntinæ, quæ salutari mendacio duos viros Israëlitas servaverat, eoque meruerat, ut non tantum in excidio urbis cum parentibus, fratribus & sororibus suis incolumis maneret, sed etiam

etiam Salmae, cujus pater erat Princeps tribus Judæ, in matrimonio collocata, Davidis abavia fieret, atque ita ipse Christus genus ex ea duceret. *Jos. c. 2. v. 1. sqq. Hebr. c. 11. v. 31. Jac. c. 2. v. 25.* Quæ in fine Decalogi prohibentur, ea ad propositum animi pertinent, quod sanctum semper atque intemeratum servandum est, etiamsi actionem ei non consentaneam necessitas extorqueat.

§. XIV.

Verumtamen ego nemini suavor & autor esse velim, ut inconsiderate ac temere, malis utrinque imminentibus nondum satis exploratis & expensis, exempla sanctorum a nobis recensita imitetur. Certum enim est, in causis tam ancipitibus, quod exemplo fit, id non semper jure fieri. Neque desunt in sacris litteris exempla aliorum hominum sanctorum, qui in alia omnia sibi eundem existimarunt. Mardocheus irreligiosum ratus est, neque unquam in animum inducere potuit, ut Amanem, supremum Regis Persiæ ministrum, adoratione dignaretur, licet hæc detrectatio gravissimum periculum importaret: *Esther. c. 3. v. 2.* quem quidem honorem Jacobus Patriarcha Esavo fratri suo, cum eum obviam venientem conspexisset, septies præstare non dubitavit. *Genes. c. 33. v. 3.* Moses, cum pius esset velle, aula exiit, ne ibi facienda ipsi essent nonnulla, quæ non probaret: *Hebr. c. 11. v. 24. sqq.* quanquam Elisæus, ut supra dictum est, Naamani permittendum duxerit, ut in aula maneret, & in quibusdam ad voluntatem Regis Syriæ a vera religione alienam leviter se accommodaret. Regnante deinde in Syria Antiocho Epiphane, nonnulli ex Judæis, qui, gustata carnis suillæ offula, vel exiguo thure in aram Jovis sparso, vitam servare poterant, admirabili constantia ultimum supplicium subierunt. *2. Maccab. c. 6. sq.* Fuerunt tamen etiam alii multi, qui exemplo Naamanis Regi tantisper obedire, quam e vita migrare mallet: *1. Maccab. c. 1. v. 45.* quos omnes si quis impietatis condemnare voluerit, vereor, ne ille sibi sumat judicium, quod soli Deo relinqui fas erat. Similia exempla eorum, qui vel necessitati interim cedendum, vel ultima potius experienda duxerunt, innumera inter Christianos extant. Ejusdem Antiochi temporibus inter Judæos haud pauci mori, quam sabbatum violare, alii sabbat-

sabbatum violare, quam mori, satius duxerunt. Utraque ex parte sterisse homines pios ac religiosos, historia sacra testatur. *1. Maccab. c. 2. v. 39. sqq. 2. Maccab. c. 6. v. 11.* Proinde neutros reprehendere possumus: quoniam utrique, certe multi inter eos, conscientia suæ in ea re congruenter egerunt. Ipse Christus, etsi admonerat Judæos, ne crederent, hominem esse propter sabbatum, eum tamen plerique eorum serio persuasi essent, nunquam die sabbati longius iter faciendum esse, quam quantum erat Hierosolymis usque ad montem oliveti, *Act. c. 1. v. 12.* noluit eos quidquam facere, quod conscientia eorum repugnaret, sed consuluit eis, ut orarent Deum, ne fuga eorum in diem sabbati incideret, *Matth. c. 24. v. 20.* Susanna magis scrupulosa fuit conscientia, quam Sara: ideoque illa mortem oppetere melius duxit, quam adulterii periculo se offerre. *Sur. v. 22. sq.* Plura generis ejusdem exempla coacervare, supervacaneum foret.

§. XV.

Vidimus, omnes, quas recensuimus, de conflictu obligationum regulas speciales frequenter ipsas inter se configere, nullamque reperiri inter eas, quæ non identidem vitiatur. Exempla etiam sanctorum periculosa nec semper imitabilia esse, vidimus. In tanta igitur difficultate rerum equid consilii demus homini honestatis ac pietatis studioso, si animi pendeat, & quod se vertat, nesciat? Ante omnia, quod semper fieri decet, precandus Deus est, ut nos titubantes regere, & ea via, quæ est optima & sanctissimæ, ducere velit. Deinde consulendi sunt alii, quorum magis pietatem, integritatem ac prudentiam spectari oportet, quam eruditionem, utpote quæ sæpe cum magna levitate animi aut pedantico quodam fastu conjuncta esse solet. Si res non fuerit permagni momenti, tota ea etiam illorum arbitrio committi potest. Neque in re tali reprehenderim eum, qui fortis arbitrium non adspernandum duxerit. At si gravioris momenti res sit, & aut aliorum consilia deficiant, aut nos in iis acquiescere non possimus, sed mens nostra magis in alteram partem se trahi sentiat, tum nobiscum ipsi loquamur, nos adhibeamus in consilium, nostræ conscientia, quæ magistra & dux vitæ nobis a Deo data est, obtemperemus: sique nihil habeamus, quod certum sit,

fit, eligamus id, quod maxime probabile fuerit visum, scrupulum vero, qui in animo residet, supprimamus.

§. XVI,

His omnibus probe observatis, non temere errabimus. Siq; vel maxime in tantis rerum humanarum tenebris nos offendere contigerit, nihil tamen imputari nobis poterit: quoniam conscientia nostrae, licet erranti, nos parere oportuit. BARBEYRAC *ad Pufendorf. de offic. hom. & civ. l. 1. c. 1. §. 7. not. 1.* Deus enim non ex alius cujuscunque, sed ex sua quemque fide judicabit: qua repugnante, quidquid fit, id peccatum est. *Rom. c. 14. v. 23.* LEYSER. *ad ff. Vol. 7. Specim. 455. Medit. 12.* Sæpe autem evenit, ut, quod tu sine crimine non feceris, id ego sine crimine non omiserim: quoniam, uti tu faciendo, ita ego omittendo, animum Deo adversandi sim habiturus. Quin etiam gravius multo est, actionem per se bonam contra conscientiam suscipere, quam actionem per se malam secundum conscientiam. BARBEYRAC *ad Pufend. de jure nat. & gent. l. 1. c. 3. §. 13. not. 1.* Quamobrem non est ferendum censorum illud nonnullorum supercilium, qui, quasi omnes homines eadem conscientia regantur, quid alios in causis tam ambiguis facere vel non facere oporteat, magna sæpe temeritate definiunt. Si consilium fidele aliis in causis hujuscemodi dare volumus, non nostram tantum, sed etiam illorum conscientiam exploratam habere debemus: alioqui negandum potius erit, nobis liquere. Dolendum vero est, sæpe homines pios, quorum non satis confirmata est conscientia, in gravissimas calamitates ruere, quas alii sine crimine evitaverint. Hoc tum inprimis evenire solet, ubi ab una parte urget necessitas, ab altera metus adversatur, ne quid in contemptum supremi Numinis fiat: quippe quod ne in maxima quidem, & aliis omnibus legibus potentione necessitate permillum est. HERR. *de collis. leg. sect. 2. §. 2.* Sed cogitare nos oportet contentum illum in animo consistere, & neminem de illo judicare posse, nisi eum ipsum, qui tanti criminis reus habetur. Neque temere credendum est, eum, qui ultimo telo cecidit & succubuit, supremi Numinis offendendi consilio agitatum fuisse: Sane causarum hujus generis, ubi obligatio cum obligatione quasi luctatur, & ubi, quidquid tetigeris, ulcus est, maximum.

num patrocinium est necessitas, quæ non finit suspicionem criminis in aliquo consistere. Ratio est in his habenda imbecillitatis fragilitatisque humanæ, neque unquam inhumane æstimari oportet, quod coactum & expressum est, in primis quando in ipso temporis articulo consilium fuit capiendum.

§. XVII.

Quamobrem actionem talem etiam in foro humano impunitam dimitti, æquissimum est. Si quis tamen, forte extrema fame confectus vel in alio vitæ gravissimo discrimine constitutus, expediendæ salutis causa, immanius aliquod facinus admiserit, quale est parricidium vel aliud innocentis homicidium, tum is, ne res exemplo noceat, pœna quidem affici aliqua poterit, non tamen ea, quæ legibus est sancita, sed alia mitiore. Pertinet huc funesta illa ac tristissima historia, quam ex TULPII *Observationibus medicis l. 1. c. 43.* SHARROCKIUS, libro de offic. c. 3. §. 13. edit. Londin. de A. 1682. & ex hoc alii complures scriptores juris naturalis retulerunt. *Septem, inquit Tulpus, Britanni accinxerant se in insula Christophoriana unius solummodo noctis itineri, ultra quam non extendere commeatum. At interveniens tempestas abripuit imparatos longius in mare, quam ut potuerint reverti ad portum ante diem decimum septimum. Luctatum igitur cum inedia est, qua eo ipsis fuit gravior, quo ardentius id temporis aestuarit sol, & vehementius exsucca eorum guttura exarefecerit exhalans incalcescentis maris salsedo. Cum intricati erroris nullam sinem promitteret spatiosum mare, ancipiti sorti committebant, cujus carne urgentem famem, & quo sanguine. compererent inexplabilem sitim. facta est alea, qua ex illis unus cadi destinatur: qui lubenter fortuna cessit, & gavisus est, se post mortem amicis esse profuturum. Deinde sorte alius reperiebatur, qui jugulum peteret. Sic aliquamdiu cibata naviculam deduxit tandem Deus ad insulam Martimiam: ubi vix attigerant terram, cum accusarentur protinus a Prætoze homicidii. Sed dedit illis veniam judex.*

Diræ atque immania passis,

Ei quibus illorum poterunt ignoscere manes,

Quorum corporibus vescebantur.

Damnat hoc factum ZIEGLERUS, ad Grot. de jure belli & pac. l. 2. c. 1. §. 3. sed non sine formidine, cum ingenue fateatur, extra periculum constitutis facilius esse recte philosophari. THOMASIVS VE-

ro, miserandum magis, quam injustum fuisse horum Britannorum consilium, existimat. *Jurispr. Div. l. 2. c. 2. §. 160. lit. o.* Severiores judice illo Americano ante hos centum annos fuerunt Scabini Lipsienses. Nimirum A. MDCXXXIX. Heldrunga in Thuringia exi-
 triabilis fames grassata est, qua in illo oppido septem & sexaginta homines, postquam canibus, felibus, gramine, limo in speciem placenta subacto ac rosto, similibusque cibis aliquamdiu vitam toleraverant, misere perierunt. Senex quidam illius loci, vir alioqui probus & honestus, cum jam inedia & aegritudine animi propemodum esset consumtus, & neque ipse propter tumorem pedum & nimiam defectionem virium domo egredi, neque quisquam ei opitulari posset, uxorem, cum qua per duos & triginta annos in matrimonio magna concordia vixerat, incisa cultro gula, interfecit, miserius esse ratus, ambos interire, quam eam solam. Cum vero per biduum carne uxoris vires aliquantulum refecisset, judicem adiit, se ipsum accusans ac poenae offerens. Is ex sententia Scabini, qui censebant, necessitate non tolli atrocitatem facinoris, cum nihil esse detestabilius possit, quam ita conjuges in unam carnem coalescere, ut alter alterius in succum & sanguinem convertatur, gladio interemptus est, vehementer dissentiente a collegis Carpozovio. Hic enim negavit, graviolem poenam relegationis, qua reus offensionis evitandae causa ex oculis civium submoveretur, decerni posse. *CARPZOV. l. 6. Resp. 94.* Non autem solum, quando de poenis infligendis agitur, sed etiam quando incertum est, an actus jure Divino prohibitus, re non integra, sit rescindendus, judex conscientiam illorum, ad quos ea res maxime pertinet, in judicando spectare debet. Ita LYNKERUS existimat, matrimonium fratris cum sorore, praecipue si tempore nuptiarum consummatarum ignoraverint, se eodem patre vel eadem matre genitos esse, non esse dirimendum, si conjuges persuasi sint, se salva conscientia in eo matrimonio permanere posse. *Analect. ad Locam. Instit. t. de nupt. §. 12. Et ad Struv. Syntagm. jur. civ. t. de ritu nupt. §. 37.*

§. XVIII.

Tandem illud praetereundum non est, si duae collidantur obligationes, quarum neutra praeponderet, nihil interesse, utri earum satisfiat. *WOLF. Philos. pract. part. 1. §. 214.* Si quis igitur eodem tempore duabus foeminis promiserit, se ex illis ducturum eam, quae doris causa mille florenos allatura sit, si utraque simul ad hanc summam dandam se obtulerit, stipulator arbitrio suo poterit eligere, utram voluerit, aut, ut neutram offendant, rem forti committere. *BRUCKNER. Decis. matrim. c. 4. §. 23. sq.*

F I N I S,


Frankfurt a. d. O., Diss., 1738-40

ULB Halle 3
002 267 25X



f

Sb.



G. 25. num. 26.

1739, 5

2A

DISSERTATIO PERIODICA
DE
**CONFLICTV
OBLIGATIONVM,**

A
JOHANNE WOLFGANGO TRIER,
CONSIL. REG. AVL. ET CODICIS P. P.

ET
FRIDERICO WILHELMO BINGERT
BEROLINENSI

D. VIII. AVG. MDCCXXXIX.
PVBLICAE DISQVISIONI EXPONENDA.

FRANCOFURTI *ad VIADRUM*,
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

